

C V I S

1 6 3 6



- I Eberhardi Speckhan Centuria Terha
- II Dissertaciones Iudicce
- III De libris Denunciacione D. Böhemii
- IV De Inimicis et Famosis libellis D. Grossii
- V De Felonia D. Zederen.
- VI De Concurſu ac prelatione Creditorum D. Strauchii
- VII Disputatio quaestiones Iudicce soluticas gincus D. Carpzovii.
- VIII Disputatio de iure potandi.

EX LIBRIS
 ILLUSTRISSIMI VIRI,
 DN. DAN. LVDOLPHI,
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
 STATUS INTIMI, cetera,
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
 TESTAMENTO RELICTIS.

Wb. 38.
 2.

VI.
DISPUTATIO
QVÆSTIONES JURI-
DICO-POLITICAS
CONTINENS

Quam

Summi Numinis auspicio
Permissu & autoritate Amplissimi Jctorum in
Academia Witebergensi ordinis

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Amplissimi, Clarissimi & Consultissimi

DN. CONRADI CARPZOVII

J. U. D. & Professoris Publ. Electoralis Curia, Con-
sistorii Ecclesiastici & Facultatis Juridicæ Wittebergensis,
nec non judicii provincialis per inferiorem
Lusat. Adfessoris meritissimi

Preceptoris & Fautoris sui debita observantia colendi

PUBLICÆ

Ventilandam & examinandam
proponit.

JOHANNES CHRISTIANUS à Dölsau.

In Auditorio Jctorum ad diem 25. April.
boris matutinis.

WITTEBERGÆ,

Typis hæredum CHRISTIANI THAM.

Anno MDCCXXX.

4 2



REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO,
Celssimoq; Principi ac Domino, Domino

AUGUSTO,
Postulato Archiepiscopo Magdeburgensi, Pri-
mati Germaniæ, Duci Saxonæ, Juliæ, Cliviæ
& Montium, Landgravio Thuringiæ, Marchioni
Misiæ, Comiti in Marca & Ravenspurg,
Dinastæ in Ravenstein &c.
Domino suo clementissimo.

Hoc publicum Exercitium

In

*Debitæ subjectionis testificationem suiq;
humilissimam commendationem.*

Offert & Dedicat

JOHANNES CHRISTIANUS
à Dölan. Aut. & Resp.



IN NOMINE DOMINI NO-
STRI JESU CHRISTI, AD OMNIA
CONSILIA, OMNESQUE ACTUS FELICITER

progredimur, l. 2. in Princip. C. de offic. præf.

Præt. Afric.

QVÆSTIO I.

Utrum Tutor qui ab Electore S. Romani Imperii Testamento constitutus, proximiori agnato sit preferendus?



Regula Juris Civilis est: Quamdiu speratur Tutela Testamentaria Legitima cessat l. si quis sub conditione ff. de Testament. Auth. matri & avia C. quando mulier.

Verum in Electoratu Testamentaria Tutela nullum obtinet locum; Cautum enim est per Auream Bullam Caroli IV. Cap. 7. von succession vnd nachkommen der Churfürsten; ut proximus agnatus tutor & administrator sit Electoris hæredis impuberis usque ad 18. ætatis annum adeò ut nec agnato hoc jus per modum Testamenti auferri queat.

Licet voluntas Testatoris sit servanda & prohibitio Testatoris similis sit prohibitioni legis l. fin. C. de rebus alien. non alienand. Jaf. in l. nemo potest in 2. lect. n. 14. de legat. 1. Id tamen tantummodo in iis procedit, quæ ex ipsius Testatoris dispositione veniunt absque juris necessitate.

Tutela enim Electoratus est Juris publici munus nec quis Electoratum suo jure habet sed legis beneficio; Ergo in iis quæ ex legis provisione necessaria descendunt si Testator quid contra illam legem disposuit, minimè est obtemperandum, Jafon. l. nemo potest

potest 55. ff. de legat. 1. n. 33. arg. l. 1. C. de usur. l. scire 7. C. ut in possess. legat.

Præterea quia Agnatus jus illud dignitatis quæsitum habet, sine suo facto non amittet, jus quæsitum enim alicui sine suo facto auferri non potest l. 1. de R. Jur.

Et hæc quæ jam dicta sunt suadet salus Reipublicæ; Satis enim periculosum esset tantæ celsitudinis administrationem extraneo commendare *Autum in discurs. Acad. 4. ad hoc Cap. thes. 10. Hanon. disp. 2. Trent. vol. 2. disp. 8. th. 3. lit. a. Jacob. Cramer. discip. 5. th. 15. Boer. de Jurud. c. 8. n. 78. Matth. Steph. de Jurudict. lib. 2. Part. 1. c. 5. n. 65. Harprecht. disp. 7. part. 1. t. 8. lit. 8. Gœdd. ad l. 120. in fin. ff. de V. S. Hakelman. illust. quæst. disp. 15. th. 5. lit. C. Georg. Schonborner lib. 2. Polit. c. 14.*

II.

An veritas Convicii excuset injuriantem.

Hac in quæstione JConsulti distinguunt, utrum Reipublicæ expediat convitium scire vel non expediat; Primo casu convitium dicens quod Reipublicæ scire interest non tenebitur actione injuriarum si probare illud potest l. 8. ff. de iniur: Exempli gratia si alicui verè objicitur latrocinium, lepra vel defectus natalium quod sit spurium; Ratio, quia interest Reipublicæ infamiam istam manifestari. 1. ut delicta non maneant impunita *Text. l. ita vulneratus ff. ad leg. Aquil. Vvesenb. in Parat. ff. de accusat. n. 3.*

2. Ut ab hominum consortio contagiosus removeatur *Text. in c. hoc ipsum 33. quæst. 2. & in c. 1. de conjug. leprosor.* Tertio ut ad dignitates non admittatur incapax & infamis l. 1. C. de infamis.

Altero casu quando Reipublicæ non interest scire convitium, tunc veritas convicii injuriantem non excusat sed injuriarum tenebitur. Quia in actione injuriarum non tam veritas convicii quam libido & voluntas injuriandi consideratur l. justissimos C. de offic. rector. provinc. Non enim debet aliquis alterius infamiam, sine causa detegere, quia defectus nostros detegi inhumanum & injuriosum est *Text. l. 2. C. quando & quibus quarta pars lib. 10.*

Quoties etiam quis in rixa crimen alicui objicit aliàs id minime facturum, ille duplici poena dignus est; Primo quod utilitatem Reipu-

Reipu-

Reipublicæ neglexerit, & cum rem cuius manifestationem Reipublicæ utilem esse non denuntiavit.

Hanc sententiam frequentiori D D. calculo approbatam esse dicit Harprecht in *Tractatu criminali ad §. injuria autem 1. Inst. de injur. n. 98.*

Videantur pro hac sententia etiam Fachin. lib. 9. cont. c. 70. Sneidevv. ad §. injuria. 1. Inst. de injur. n. 14. & seq. VVurmbf. Tit. 47. obs. 6.

III.

An Pecunia sit Nervus Belli?

In apparatu bellico primò de pecunia est cogitandum, quæ omnium judicio rerum gerendarum & imprimis belli nervus est præcipuus l. 1. §. in causa 20. ff. de quest. Novell. 8. cap. 10. §. 2. ibi & non possunt sine pecunia hæc agi. Reichsabschiedt zu Regenspurg de Anno 2541. §. nach dem aber folgendes der Barbarossa, ibi mit treffentlicher Kosten in gegenrüstung zuschicken / Et frustra Princeps de bello cogitat si iste nervus deficiat. Bella siquidem teste Dionysio Halicarnasso lib. 6. plerunque pecuniarum copia sustentantur, & juxta Thucydidem lib. 2. in Orat. Periclis præreque res bellicæ consilio & pecuniarum vi conficiuntur.

Et sicuti Medici negant sine nervis homines ambulare posse, consimili ratione nec bellum usquam progredi sine pecunia potest.

Quandoquidem sine hac miles extraneus haberi & conduci nequit: Imò ob nummorum defectum arma frigide tractantur, nulla Justitia & disciplina militaris, nulla denique ordo (quæ tamen belli & armorum ornamentum & fundamentum est teste Oldendorp. in *restaurat. Polit. ad l. 2. in verb. in equestri ordine ff. de orig. Jur. faciend.* Reichsabschiedt zu Speier de Anno 1542. §. vnd damit in solchen ibi gute Ordnung gehalten werde / & ibidem §. vnd damit vnter allem Kriegsvolck desto besser Regiment vnd Ordnung erhalten werde) conservari potest ubi militibus stipendia debita justo & legitimo tempore non exsolvantur; Gleiche bezahlung erhelt das Kriegsvolck in guter Ordnung vnd gehorsam Text. in Reichsabschiedt zu Speier de Anno 1542.

A 3

vnd

S vnd so alles Krieges Bold. Id quod etiam probè intellexit Landgravius bonus Princeps qui hisce expressis verbis ad Gregorium Richterum dixit: Quamdiu habui pecuniam, & militibus tempestive persolvi stipendia: tamdiu bonam disciplinam militarem in exercitu conservare potui, sed si duces non possunt solvere: tunc nihil est, & disciplina militaris strictè servari non potest *Greg. Richt. in Axiomat. Polit. CCCXXVIII. fol. mibi 494.*

Adde quod milites quibus stipendia debita non exsolvantur nullam cupiditatem ad pugnandum habeant, sæpeq; amicis & confœderatis plus damni tribuunt quam ipse hostis, imo salario assignato sibi non percepto nullis rebus magis student & incumbunt quam spoliis & direptionibus, quæ etiam nostris prohdolor temporibus multorum luxu ita frequentantur, & tanta impunitate fiunt, ut militia quæ Romanis temperantiæ, prudentiæ & fortitudinis Schola fuit, nunc latrocinandi ars esse videatur. *God. lib. 5. de Repub. c. 5. pag. 902. de quo querelatur Imperator & Imperium in N. A. de Anno 1570. sub tit. von Reuter bestallung S vnd dieweil 43.*

Nam milites nostri temporis vano militiæ nomine inania tantum lucra sectantur l. per Myricum C. de cohortat. lib 2.

Imo in transitu plus damni plerunque amicis & confœderatis dant, quam ipse hostis, imò immanissimus Turca, aut Scythia dare posset, *Johan. Gæden. cons. 17. n. 305. vid. hac de re latè differentem Nevizan. in Sylv. Nupt. sub n. 140. ubi de novis militum artibus & subtili ingenio auferenda à rusticis, auro agi, Hering. de fidejuss. cap. 7. n. 162. ubi hosce sequentes recitat versiculos:*

Militiæ quondam partes ac jura fuerunt

Tutari patriæ dulcia tecta suæ

A sociis arcere minas pepulisse Tyrannos

Hostis & incursus continuisse vagos.

At nunc quid bello peritur, nisi præda? nec hostem

Sed socium vita est expoliasse decus:

Videantur pro hac opinione *Vegetius lib. 2. de re milit. Elias Reusnerus lib. 1. cap. 20.*

IV. Inju-



*Injuriatus an injuriam injuriâ retorquere
possit?*

Respondetur quemlibet provocatum qui remedio retorsio-
nis in Jure optime approbato & concessio usus fuit, injuriamque
sibi illatam retorsit actione injuriarum conveniri non possit.
*Text. in l. que omnia 25. ff. de procurat. Schrad. in Tract. feud. part. 9.
cap. 4. n. 14. Daniel Moller. in comment. ad const. Electoral. 42. part. 4.
n. 37. Matth. Berlich. Part. 5. conclus. pract. 59. nu. 53. Mynsing. cent. 5.
obs. 17. Schneidvv. ad §. injuria autem 1. Inst. de iniur. nu. 9. Quia
in provocato animus injuriandi abest & sic deficit substantiale
requisitum actionis injuriarum. l. in illud ff. de injur. & l. divus ff. ad
l. Cornel. de sicar. l. qui eum major §. si libert. ff. de bon. libert.*

Unde si alicui quis crimen objicit ut puta quod sit fur vel
latro poterit statim illud in injuriantem retorquere, & impune
dicere, Tu mentiris tanquam fur vel latro, *Johan. Harprecht §. in-
juria. Inst. h. t.*

Licet illa verba sint injuriosa, ita ut extra casum provoca-
tionis proferens Injuriarum rectè conveniri & condemnari pos-
set. *Jas. l. ut vim n. 36. ff. de just. & jur.* Provocatus tamen ad eum
modum respondens non injuriandi animo sed honoris sui defen-
dendi gratia talia verba protulisse intelligitur. Quemadmodum
enim permissum est in continenti vim vi repellere. Ita injuriam
injuria retorquere licet *l. etsi pepercerit n. 7. ff. de lib. & post.* Cru-
delis enim esset qui famam suam negligeret; Quia hominis fama
inestimabilis *Text. in l. si duabus ff. de reg. jur. & omni commodo
pecuniario præferenda Text. notab. in l. Juliano, ff. si quis omnia cau-
sa Testamenti, graviorq; amissione oculorum l. infamia C. de decur.
lib. 10.*

Ut autem Retorsio valeat requiritur 1. Ut in continenti fiat,
*Gail. lib. 2. obs. 101. num. 5. Jacob. Scult. in addit. ad Modest. Pist. quest.
127. num. 39. ibi sic & respondit. part. 3. Modest. Pist. cons. 3. incipit,
Solche Fragen/ num. 34. vers. welche allhier nicht seyn kan/ & nu.
seq. vol. 2.* Deinde ut cum moderamine inculpatae tutelae fiat, in
suis terminis consistat, & ulterius non progrediatur. *Johan. Har-
precht*

precht. in §. hac actio 12. Inst. de injur. nu. 209. vers. verum etiam cum moderatione. Alias si retorsio moderamen excedit, & quis verbis injuriosis provocatus, aliis verbis injuriosis, diversum delictum spectantibus injuriantem reverberat, retorsio & compensatio injuriarum non valet, sed uterque de injuria sibi illata agere potest, *spec. lib. 1. part. 2. Tit. de accusatore n. 11.* Undè fit ut si cui crimen vel delictum aliquod objicias, eumque furem appelles isq; retorquendo tibi aliud crimen objicere, & te latronem vocare non possit, *Ægid. Boss. in Pract. criminis. rubr. de homicid. n. 86.*

V.
*An Consiliarius non requisitus consulere principem
debeat?*

Omniò cum enim consiliarii qui erga principem tanquam filii erga Patrem debent esse, teneantur principis sui negotia prudenter tractare, de commodo, utilitate & honore Principis & Reipublicæ fidelissimè prospicere sequitur quod postulante necessitate, quamvis non consulti, attamen ob bonum publicum Magistratui bona & salubria consilia præstare debeant, ne incensum adulatorum referantur.

Huc refero quod habet Antimachiavellus lib. 1. theor. 2. Princeps sapius nihil quicquam novit de negotiis, quæ necessariò expedienda; Idcirco prudens & fidelis consiliarius aperit principi, quæcunque à Magistratibus in Rempublicam vel à privatiis peccantur, ut admonitus iis maturè prospiciat. Expectare enim donec Princeps de his, quæ noscitur, nec scire nisi à te potest, sermonem injiciat, vanum est. Qui vero potest, multis ac variis curis distentus scire omnia? Tantum scit & curat quantum iis videtur, quorum in potestate sunt aditus principis. Et quis Dominus unquam iratus est famulo, qui cum non rogatus de occulto damno præmonuit.

Verum quia non omnes Principes ita affecti sunt ut Hiero, qui referente Plutarcho, in apoph. dicere solitus est: Neminem sibi importunum esse, qui liberè loqueretur, aut ut Theodosius Imperator

perator qui facilius ferebat arguentem quam adulantem, teste
D. Ambrosio in ora. funeb. Theodos.

Consiliarius prius diligentissimè & diu multumq; secum
rem proponendam examinabit, ne fallatur, quod ridiculum es-
set: deinde etiam omnes circumstantias, an antea simili de cau-
sa cum principe loquutus sit, an tempus locus & rerum status id
requirant, an res opportunius differri possit, an ipsemet consilia-
rius principi gratus & acceptus sit, an per alium id commodius
fieri posse existimet. Hippolit. à Collib. de cons. pag. 20. & seq. Jurste-
lichen Tischreden/ lib. 3. cap. 19. Jerem. Serjer. in disp. de cons. & con-
siliar. th. 295. & seq.

VI.

Usucapio an sit contra Jus Naturale?

Omni Juri & æquitati consentaneam esse usucapionem.
omnes JConsulti affirmant Bald. in l. 1. C. de præscript. 30. annor.
VVejenb. parat. h. t. n. 13. Treutl. Vol. 2. Disp. 22. th. ult. Schneidvv. h.
t. num. 11. Illa enim ob publicam tranquillitatem & salutem
populi quæ suprema lex esse debet introducta est. Ne dominia
diu in incerto maneat, sed ut securitati possessorum consulatur.
l. 1. ff. de usucap. Et si enim diutissimè quis rem possederat, tamen
certus de jure suo esse non poterat, quo ad lex civilis per usuca-
pionem acquisitioni domini certum statuisset modum.

2. Ut litium aliquis sit finis l. finali ff. pro suo. Nullus enim
futurus esset finis litium inter homines, si lex non invenisset mo-
dum & rationem, qua possidenti succurreretur adversus petentem;
semper enim alter alteri moveret controversiam de rerum pos-
sessione & dominio, cum homines alias ad dissentiendum natu-
raliter sint faciles l. item si unus §. fin. ff. de arbitris. Necessarium
igitur omninò fuit, ut usucapionum modis infinitæ hominum
controversiæ dirimerentur, atque huc respexit JConsultus Ne-
rarius, usucapionem rerum institutam inquiring ut aliquis litium
finis esset, l. ff. pro suo.

B

7. An

VII.

An in Electione Imperatoris Elector aliquis se ipsum eligere suaq; voce eligentium numerum augere possit?

Affirmativam tenent sententiam, Cardm. Zabarell. in d. §. verum col. 3. de Elect. Bald. in l. plane, in verb. Elect. ff. quod cuiusq; univers. nom. apud Dn. Goldastum. in Pol. Imperial. part. 2. discurs. 4. fol. 230. Lancelot in templ. omni. judic. lib. 2. cap. 1. §. 2. q. 4. n. 8. & Marquard. Freher. in not. ad P. de Andl. c. 2.

Verum hoc tum demum procedit, si tres elegerint quartum ex numero Electorum, tunc enim electus in sui electionem consentire, suaq; voce numerum augere potest. Text. in Aur. Bull. tit. 2. §. fin. Excellentissimus Dn. Arumæ. discurs. 2. ad Aur. Bull. concl. 22. Hoc practicatum fuit à Ruperto Palatino, qui cum ab Electoribus Moguntinensi, Treverensi & Colonienfi fuisset electus, se ipsum quarto voto sublevavit, & Imperator legitimè est creatus.

VIII.

An beneficium l. 2. C. de rescind. vendit etiam in Emptore locum habeat?

Quod remedium l. 2. C. de rescind. vend. etiam Emptori competat, quando duplo pluriq; rem emit quam valet est ab omnibus interpretibus recepta teste Donello ad l. 2. num. 17. C. de rescind. vend. Pinel. ad l. 2. part. 1. cap. 2. n. 1.

Eaq; sententia probatur certissimis argumentis quodcumque in uno: correlativorum statutum est, statui quoque debet in altero, quando una & eadem ratio est in utroque correlativorum l. ult. C. de ind. vid. toll. Atque eadem hic est ratio emptoris & venditoris, ut scilicet in contractu venditionis inter utrumq; servetur æqualitas & immoderata circumscriptio ab hoc contractu removeatur. Ideoque meritò & beneficium l. 2. competat emptori, si duplo pluri quam res valet, eam emit.

2. Quoniam beneficium d. l. 2. non est personale, sed venditori ideò tributum, quia læsus & enormiter circumscriptus est, & proinde etiam idem Emptori si læsus nimiū erit indulgendum erit.

erit. Ubi enim eadem est ratio, ibi idem jus statui debet l. 32. ff. ad l. Aquil.

3. Quoniam beneficium illud ex mera humanitate introductum est. Sed multo humanius est Emptori, quam venditori succurri, quandoquidem venditor valoris istius rei notitiam, habere præsumitur, l. quisquis 15. C. de rescind. vend. & proinde circumventus sibi imputare debet, quod tam vili pretio rem suam distraxerit. Emptori verò hoc imputari non potest, cum in factis rebusq; alicui non scientia sed ignorantia præsumatur, l. 2. & seqq. ff. de jur. & fact. ignor. l. ult. in fin. ff. pro suo Harp. ad S. fin. Inst. de Empt. & vend. n. 60. & seqq. Henon. disp. 16. th. 7. Hunu. variar. resolut. Jur. civil. lib. 3. tract. 7. part. 1. quest. 11.

IX.

Utrum Nobiles immediatè Imperio subjecti sint status Imperii?

Non desunt qui immediatos Nobiles utputa die Fränckische / Schwäbische vnd Rheinische Ritterschafft statibus Imperii annumerant Matth. Wehn. in Pract. observat. in verb. Ritterschafft. Verum cum hi Nobiles hodierna die, licet eximiis privilegiis præ aliis sint decorati, votum & sessionem in comitiis non habeant, neque in matricula reperiantur, ad status Imperii referri non possunt, ut enim aliquis sit status Imperii, debet jus comitiorum habere. N. N. Anno 1548. S. wann auch ein ausgezogener / ibi Stimm vnd Standt in Reichsversamlungen / Gail. 1. obs. 21. n. 9. versic. quod sessionem & votum.

X.

Venditor si facultatem rei tradenda habens an præcisè teneatur ad rei traditionem?

In actione Empti ad hoc tenetur venditor, ut si tradendi facultatem habeat, præcisè cogatur rem emptori tradere, nec præstando interesse liberatur. l. ex empto 11. ff. de act. empt. ubi dicitur, venditorem imprimis rem ipsam tradere, id est præstare, oportet, imò manu militari ab eo auferri potest, ut notat Castr. ad l. 1. ff. de act. empt. Probatur hæc decisio quoque aperto & in-

convincibili Textu in §. perficiuntur Inst. de donat. ubi Imperator sancivit, quod donatio ad exemplum venditionis habeat necessitatem tradendi.

Et hanc sententiam propugnant Harp. ad princip. Inst. de empte. & vend. n. 33. & seqq. Henou. disp. 16. ch. 12. Hun. variar. resolut. Jur. Civil. lib. 3. tract. 4. q. 14. Mynsing. cens. 1. obs. 53. Fachin. lib. 2. controvers. c. 30. Gœd. in Tractatu de contrab. & committ. stipulat. c. 9. nu. 65.

GLORIA, TIBI DOMINE JESU, qui es omnia, &
super omnia, & præter omnia Scal.
exerc. 365. sect. 2.

F I N I S.



Ka 4574

(3a)

ULB Halle


3

007 376 790



WDA
[Handwritten scribbles]





VI.
DISPUTATIO
QVÆSTIONES JURI-
DICO-POLITICAS
CONTINENS

QUAM

Summi Numinis auspicio
Permissu & autoritate Amplissimi Jctorum in
Academia Witebergensi ordinis

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Amplissimi, Clarissimi & Consultissimi

DN. CONRADI CARPZOVII

J. U. D. & Professoris Publ. Electoralis Curix, Con-
sistorii Ecclesiastici & Facultatis Juridicæ Wittebergensis,
nec non judicii provincialis per inferiorem
Lusat. Adessoris meritissimi

Preceptoris & Fautoris sui debita observantia colendi

PUBLICÆ

*Ventilandam & examinandam
proponit.*

JOHANNES CHRISTIANUS à Dölsau.

*In Auditorio Jctorum ad diem 25. April.
boris matutinis.*

WITTEBERGÆ,

Typis hæredum CHRISTIANI THAM.

Anno MDCCXXX.

* 2

